Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2793
Quelle:
Copyright:

(Angster, *vas collo angusto*) vini censentur, et ex quo conjici possit, quanti sapientiam emerint tot Exteri aetate illa *Patavium* celebrantes.

XXV. *fol.* 261. p. 2. Acta quaedam ad *Johannem Karschaw* licentiatum in Decretis spectantia et I. quidem *Decretum*, quo is *Friderici* II. Comitis *Ciliae* et *Ulrici* filii ejus *domesticus*, *commensalis*, *procurator causarum*, *Consiliarius* ac *Iurista* constituitur, datum *Cilie die Iouis penultima mens. Iulij Anno domini M°. CCCC°. XXXIX.* II. *Mandatum* generale ad lites, et singillatim ad litem de Decimis in *Tschakentburn* colligi consuetis a Praeposito et Capitulo Ecclesiae *Zagrabiensis* Comitibus *Ciliae* motam eidem *Johanni* ab iisdem Comitibus datum. *Actum Cilie Aquilegen. Dioc. in Castro nostro Turri communiter appellato. Sub Anno domini MCCCCXXXIX. Indictione Secunda die Sexta mensis Augusti* &c. Adduntur nomina testium *Barth. Glanyr* et *Joh. Mayssenräwtter* Armigeror. et *Nic. Dawsse* oppidi *Pressperg* civis. Item Notarii *Joh. Gerhardi de Yssmbusen* clerici *Magunt.* Dioec. III. *Breve* Eligibilitatis eidem *Johanni Karschaw* motu proprio datum, ut puto, ab *Eugenio* IV. ad quaevis Beneficia Dioecesium *Aquilej. Salzburg. Regensb. Bisunt. Gnezn.* et *Moguntinae. Sub V. Idus Marcij Anno Septimo.* Itaque 1438. IV. *Libellus supplex* ejusdem ad Papam, ut in causam *Nicolai Gramus*, de quo supra, Praepofituram *Wratislaviensem* mala fide adepti inquiri jubeat. Sine nota chronologica. V. *Breve* Eligibilitatis ad intercessionem *Friderici Ciliae* Comitis, ut videtur, datum *Martino* plebano parochialis Ecclesiae in *Tiuers* et Comitis praedicti Cancellario ad beneficia Dioecesi. *Aquilej. Salzburg.* et *Strigon.* VI. Literae *Eugenii* Papae ad *Fridericum* praedictum, quae Responsum ad *Orationem* supra *N°.* 23. indicatam continent, Comitis propositum laudant, petuntque, ut etiam *Albertum* Regem Rom. in eandem sententiam pertrahat, *cum sit apud illum nemo tum etate, tum amplitudine, tum auctoritate et prudencia tum affinitate* (per Barbaram Ciliensem) *maioris vel gracie vel auctoritatis.* Abest nota temporis. VII. Formula *Examinis* testium in causa *Decimarum* supra *N°. 2.* memoratarum. *Florentiae* in Concilio eam agitatam fuisse patet ex interrogatione: *que sit recta via de Morauia, Bohemia et per que loca ad florenciam.* Subjungitur: *Si in hac via fuit in krainburga in laybaco et zagrabia, quare per viam illam transiuit cum non sit regia* &c. VIII. Libellus supplex Comitum *Friderici* et *Ulrici* ad *Eugenium* Papam, ut de hac *Decimarum* causa judices et arbitros constituat. Subjectum est *Eugenii* mandatum, ut Magister *Baptista de Roma* Auditor cognoscat, cui et momenta rationum praedictorum Comitum contra Capitulum *Zagrabiense* subpeditantur. Lis, ut ait *Balth. Ad. Kercselichius Hist. eccl. Zagrab.*